

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Caput XVI.
Aspirationes ad Deum
ob eius veritatem.

psal. 113. 1. O amantissime Deus, quam deploranda fors
paganorum Deos adorantium, qui os habent
et non loquuntur, oculos habent, et non vident,
aures habent et non audiunt, nec aliud sunt,
quam opera manuum hominum, qui proinde
confugientibus ad se subvenire nequeunt, minus
eos felices reddere possunt. Nos autem te Deum
verum, et vivum creatorem coli et terra ac uni-
versarum rerum principem et factorem profite-
mur, et colimus: Oculi tui certe omnia vident;
aures tuae vere omnia audiunt: manus tuae pros-
fus omnia operantur; frustra ^{non} igitur erit is,
quem tibi exhibemus, cultus et amor; deligit
enim diligentes te, et qui te invocant non di-
mittis inanes. O Deus meus te adoro, te in-
voco, ad te elamo, te solum desidero, tuam opem
imploro, adiuva me Domine Deus, illumina
inflama me, conforta me. Tu dixisti: Venite
ad me omnes, qui laboratis et onerati estis,
et ego reficiam vos. Ah refice me laborantem,
exaudi me suspirantem, et clamantem ad te.

Isai. 45. 2. Itaque tu solus es verus Deus, Domine mi Rex,
tu solus naturam habes veri Dei; Deum namque
verum omnes communi consensu putamus eum,
qui habitat in caelis, et simul ubique praesens ex-
istit, qui omnia operatur, omnia conservat, et
gubernat, cui inest summa bonitas, sapientia, et
potentia, qui ab aeterno fuit, et in aeternum ne-
cessario permanebit; haec autem omnia mi Deo
tibi soli conveniunt; unde tu solus es verus
Deus et Dominus, et extra te non est Deus.
Tu formans lucem et creans tenebras, faciens
pacem et creans malum. O Domine Deus,

cum tu solus sis verus Deus, sic etiam solus
eris vera beatitudo; ergo extra te non erit
vera felicitas, sed universa vanitas. Quam
igitur insipiens forem, si aliquid extra^{te} qua-
rere vellem. O mi Deus te solum desidero, ad
te solum venio, te solum possidere cupio, ah tri-
bue te mihi anhelanti ad te.

Verum O supreme rerum omnium gubernator
et rector, non solum habes naturam veri Dei,
sed etiam es prima ac summa veritas et causa
omnis veritatis create; hac autem veritas tua
aliud non est, quam substantia tua increata, sim-
plicissima, perfectissima, felicissima, optima,
omne esse bonum includens et omne esse malum ex-
cludens; fieri enim nequit, ut cum summa verita-
te aliquid mali vel iniqui subsistere possit. O
felicis illi qui oderunt iniquitatem, et tibi summae
veritati adherent; si enim es summa veritas, etiam
eris summa bonitas; sicut enim quidquid verum
est, etiam bonum est, ita necesse est, ut veritas tua
sit bonitas tua, et si ista sit immensa, haec
infinita sit, oportet. Quid ergo illi deesse po-
terit, qui adheret summae veritati, infinitae
bonitati, immense felicitati. O Deus meus!
quantum desidero tibi perpetuo adherere, et
quantum metuo vel semel a te separari; quid
enim unquam infelicius mihi accidere posset,
quam amittere verum et unicum bonum et in-
venire omne malum? O prima et summa
veritas da, obsecro, ut semper veritatem amem,
in veritate ambulem, et secundum eam tibi
unicè vivam.

Caput XVII.

Aspirationes ad Deum ob
eius veracitatem et fi-
delitatem.

O amantissime Deus, non solum es verus